COMMENTARIUS
IN PERSI SATIRAM VI.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONCESSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA LITERARUM ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

J. L. C. KAEMPER,

PHILOSOPHIAE DOCTOR,

PROGYMNASII KERPENSIS RECTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXVIII.

Praefatio.

Quamquam haud immerito contendunt, Romanos in litteris Graecorum vestigiis esse nixos eosque tamquam praeceptores ante oculos habuisse, tamen est certum quoddam litterarum genus, quod ipsi apud sese creaverunt atque coluerunt, satiram dico. Non est, cur hoc loco, quam originem apud Romanos satira traxerit et quomodo perpolita sit, liberius disputemus. Lucilius primus inter eos satiris scribendis ita studuit, ut quasi pater atque auctor ejus generis litterarum a viris doctis habeatur. Sed singularis quaedam satirae Lucilianae indoles atque natura est. Lucilius, qui cum principibus civitatis, velut Scipione, familiaritate conjunctus erat, in satiris componendis res publicas potissimum spectavit et ita spectavit, ut vel homines amplissimo honore ornatos, qui sibi minus placebant, summa dicendi acrimonia usus carperet atque castigaret. Quae quidem scribendi libertas valuit, quamdiu Romani libera forma reipublicae fruebantur. Quum autem unius

imperium Romae esset constitutum, ejusmodi dicendi licentiae frena imposita sunt. Unde factum est, ut satira Horatiana diversissimam a Luciliana naturam haberet. Non tam res publicas, conditionem publicam Horatius poeta satiris describendam sibi proposuit, quam potius mores atque vitam privatam. Quod tam perite tamque praeclare fecit, ut Horati satiris legendis vera atque sincera imago vitae privatae Romanorum nobis ante oculos ponatur.

Lucili et Horati vestigiis ingressus eosque tamquam exemplaria secutus Persius noster satiris scribendis operam navavit. A. Persius Flaccus a. p. Christ. n. XXXIV, Dec. (cf. Jahn. proleg.) Fabio Persico, L. Vitellio Coss. natus est Volaterris, in urbe Etruriae, ex ordine equestri et re familiari amplissima instructus fuit. Quum pater jam puerulo morte ereptus esset, Fulvia Sisennia mater secundo matrimonio Fusio, ipsi equiti Romano, se conjunxit. Duodecim annos natus, quum Volaterris haud ita splendida liberalis disciplinae atque rationis subsidia exstarent, Persius Romam deductus est, ut illustrium praeceptorum doctrina imbueretur. Romae quum studiis rhetoricis et grammaticis, suae aetatis hominum morem secutus, tum maxime philosophiae, imprimis Stoicorum, studuit, quam tum temporis optimus quisque Romanus summo ardore amplecti solebat. Inter praeceptores maximam auctoritatem Cornutus in eum exercuit, ut ad vitae exitum ar-

tissimis amicitiae vinculis illi conjunctus esset. Cognatus erat Persius cum Arria minore, uxore illius Paeti Thraseae, qui in numero optimorum illius aetatis hominum Tacito auctore collocatur. (cf. Jahn. proleg. XXXVIII.) Ipse Persius praestantissimorum doctorum quibuscum vixit praeceptis vita obsecutus est atque ejusmodi morum integritatem ostendit, ut castitatis, pudicitiae, pietatis exemplum judicari posset. Sed morte praematura juvenis tam praeclara indole a. p. Christ. n. sexagesimo secundo. P. Mario, L. Asinio Gallo Coss. absumptus est. Satirarum librum Cornuto magistro in publicum edendum reliquit. Cui mandato is ita satisfecit, ut satiras, antequam ederentur, emendaret, expoliret, quin etiam versus quosdam haud ita idoneos abjiceret. (cf. Jahn XLV.) Deinde Caesio Basso petenti satiras edendas tradidit. Praeter sex satiras nihil Persi ad nos pervenit. De quibus satiris et scriptores Romani et Christiani optimum judicium tulerunt, unde evenit, ut permulti earum codices exstarent neque quisquam fere poeta Romanus per medium quod vocant aevum majori studio legeretur. Cognomen „Ethico" ei inditum est. (cf. Jahn.) Jam vero illud discrimen interest inter satiraras Persi Lucili et Horati, quos ille imitatus est, ut Lucilius et Horatius, qui viri, et aetate provectiores et judicio acriores, usu quotidiano suae aetatis naturam atque indolem bene cognovissent veram

atque puram ejus imaginem nobis exprimant; Persius juvenis, qui non tam vita ipsa quam praeceptorum, imprimis Stoicorum, doctrina rerum et publicarum et privatarum, quae tum erant, speciem sibi finxisset, satiris scribendis id potius assequi conatus sit, ut unam vel alteram sententiam Stoicorum liberius adumbret atque exponat. Quare ejus satirae disputationes potius philosophicas appelles, atque ita modo cum satiris Lucilianis et Horatianis compares, ut hexametris adhibitis exteriorem earum naturam retinuerint, et ita retinuerint, ut illorum poetarum in moribus hominum vituperandis gravitatem atque acerbitatem etiam auxerint. Sed quid plura? Ad ipsam satiram sextam explicandam progrediamur, quo melius, quam vim imprimis Horatius in eum habuerit quidque de Persio poeta omnino judicandum sit, perspicere possimus. (cf. Jahn. proleg. Bernhardy. Röm. Literaturgeschichte editio II, p. 502.)

Commentarius in Persi satiram VI.

V. 1. „Basse“: est Caesius Bassus, qui a prima adolescentia Persio nostro familiaritate erat conjunctissimus. Is, ut amicitiae, quae cum Persio sibi fuerat testimonium proderet, a Cornuto, (cf. Jahn proleg. VIII. sqq.) cui carmina Persius moriens per codicillos reliquerat, impetravit, ut satirarum Persi librum a se edi pateretur. Quin etiam prologum ad Persi satiras Bassum conscripsisse Henrichius haud immerito conjecit edit. Pers. p. 72. Scholiastes ad. h. l. tradit, Bassum hiemali tempore Roma ad Sabinos transire esse solitum, ubi loco calido carminibus scribendis operam navaret. Anno septuagesimo nono p. Chr. n. Vesuvio, Campaniae monte, ardente Bassus ille, quum in praediis suis vicinis commoraretur una cum villa interiit. „Foco Sabino“: erat mos nobilium Romanorum, ut, carminibus scribendis vacaturi, hieme rus ex urbe sese conferrent. At Bassus noster ad Sabinos ideo potissimum sese recepisse videtur, quod Sabini, qua etiam tum morum simplicitate atque integritate excellebant, summam Bassi, vetustatis amantissimi, admirationem excitaverant et cum ipsius ingenio atque moribus quam maxime consentiebant.

In versibus qui sequuntur usque ad vocem „mihi“ v. 5. Persius amici indolem atque naturam poeticam bre-

viter attingit. Bassus fuit eximius poeta lyricus, ut Quinctilianus cum Horatio componere eum non dubitaverit. cf. Jahn. edit. Pers. p. 211 sqq. proleg. XXVIII. not. Quum res leves ad adolescentium animos delectandos versibus perite tractabat, tum serias atque severas, quales seniores homines legere atque audire solent. Quod autem ad formam attinet, Bassus noster, veterum litterarum Romanarum admirator, quum corruptam istam et effeminatam rationem sperneret, qua plerique sui temporis poetae, mollitie et lascivia diffluentes, carmina scribebant, veterum poetarum grave dicendi genus in carminibus pangendis vel maxime imitatus est, unde strenuum quoddam atque forte ingenium Romanum proderent. Neque vero Bassus in eo minus insignis fuit artifex, quod ejus carmina eximiam metrorum Graecorum prae se ferebant peritiam.

Sed jam ad singula exploranda transeamus „vivere“ v. 2, quod magnam in auditores vim significare videtur, dicit Persius amici lyram atque chordas „tetrico pectine“. Pecten primaria vocis notione spectata plectrum erat, quo veteres lyrae chordas pulsabant. Neque instrumentum solum ita vocabatur, sed etiam latiori vocis usu ipsum carmen, quod ad lyram recitabatur. Pecten, quo Bassus in chordis lyrae pulsandis utebatur, vel potius carmen, quale inflatu poetico incensus solebat conscribere, dicitur tetricum, in cujus vocis scriptura utrum minusculo „t“ necne scribenda sit, interpretes inter se discrepant. Sed id haud ita magni ponderis esse videtur. Tetricus enim mons in Sabinis erat asperrima, ut tota illa regio, natura. Eadem autem tristi atque gravi, qua mons, illius regionis homines erant indole, ut vox tetrici eandem fere acceperit potestatem, quam habet Graecum *σκυθρωπός*: rigidus, severus, tristis. Tetricus igitur pecten vel potius carmen est ejusmodi, quod graves

continet sententias, verbis gravibus ac ponderosis expressas. Jam vero in eo versabatur discrimen carminum Bassi ab iis, quae ejusdem temporis homines componere solebant, ut aliquid triste atque severum haberent et antiquorum Romanorum ingenium atque gravitatem spirarent. Ad quam interpretationem verborum „tetrico pectine" quae sequuntur quam optime quadrant. A vocativo „opifex" pendet infinitivus „intendisse". Tendere autem, intendere ἐντείνειν ubi agitur de rebus musicis idem est, quod chordas lyrae ad cantum aliquem efficiendum temperare, adaptare; praeterea de ipso cantu efficiendo adhibetur. Neque solum tendere, intendere de cantu dicitur sed etiam de verbis, quibus ad cantum utimur, ut tendere versum idem sit quod facere, conscribere versum, indeque τόνος ipse versus cf. Henrich. edit. Pers. p. 92. Cui locutioni „intendere primordia vocum" est accommodatum. Nam verbo intendisse objicitur illud „primordia vocum", quod idem est quod: composuisse, conscripsisse, adhibuisse, aptasse primordia vocum. Primordia vocum sunt priscae, quibus Sabini et Latini prisci atque scriptores prisci, usi sunt voces, quae in hymnis et carminibus lyricis vel potissimum adhibentur. Sunt voces aeque graves, atque antiqui Romani erant, quae gravitatem et virtutem sententiarum et numerorum valde augere possint. At Bassus noster, quum veteris linguae Latinae peritissimus fuisse videatur, veteres illas atque graves voces in carminibus peritissime adhibuit. Inde vocula „atque" v. 4, ut saepenumero Graecum καί, vim explicativam obtinet. Illae priscae voces Latinae, quibus Bassus in carminibus pangendis utitur, quum „marem" „strepitum" habeant, vim fortem, sonum masculum, quam maxime abhorrent a sonitu muliebri et molli, quem produnt carmina ab aequalibus Bassi conscripta. (Jahn proleg. CIX.) De usu sub-

stantivi maris pro adjectivo adeas Plum edit. Pers p. 496. cf. v. 5, v. 6. Jam pergamus ad explicandum „numeris veterum“ v. 3. Numerus est metrum; at „veterum“ sensu praegnanti accipiendum est, ut significet: veteres illos Romanorum doctores sive Graecos, unde hic nostri loci sensus evadit: concinnis, elegantibus metris veterum Graecorum Bassus poeta peritissime verba Latina aptavit, marem strepitum, fortem sonitum prodentia. Constat autem, peritissimum fuisse Bassum artis metricae et admirandum in metris veterum utendis artificem, ut etiam librum de metris scripsisse tradatur. cf. Jahn. p. 212 sqq. Quodsi priores versus 3—4. formam atque externam carminum Bassianorum naturam significant, ii qui sequuntur de eorum argumento quamquam breviter agunt: „mox juvenes agitare jocos et pollice honesto egregius lusisse senes“ v. 5—6. Constructio grammatica loci postulare videtur, ut post „Latinae“ pro signo commatis vel commatis cum puncto potius signum exclamandi vel duorum punctorum colloces; de constructione adjectivi „egregius“ cum infinitivo poetae nostro familiarissima cf. v. 24, 76. cf. Billroth Gr. Lat. edit. II, p. 301. De mutatione temporum in infinitivis cf. Jahn. p. 88. Partim tractat Bassus carminibus res juveniles, jocos describit juvenum, amores, alia ludicra, partim fingit graves senes, graves sententias afferentes et praecepta salutaria mandantes. „ludere“ v. 6: est senes assimilare, agere, senum partes suscipere; senis autem personam Bassus „pollice honesto“ facit v. 5 id est: in his gravioris argumenti carminibus graviori dicendi ratione utitur, quae deceat et senes severos ipsos et graves ab illis allatas sententias. Nam pollice ut pectine interdum chordae pulsabantur, unde illa vox eandem acceperit vim ipsius carminis ad lyram recitati, quam vox pectinis.

„Mihi“ v. 6. Persius sese ipse Basso poetae opponit cf. sequens „meum mare“, ita ut locus significet: tu, mi carissime, quum carmina hieme pangis, gaudes regionibus interioribus, gaudes assidere focis agri Sabini, ego, eidem studio poetico vacaturus, amoeniorem loci maritimi secessum petere soleo.

„Ligus ora“. Se ipsum recessisse in fines Liguriae dicit poeta. Nam prope Lunam urbem, in confinio Liguriae et Etruriae sitam, teste scholiasta Fulvia Sisennia mater Persi, habitabat, quae post patrem Persi mortuum Fusio nupserat, villam ibi possidenti. cf. Jahn proleg. III et VI. Propterea autem illuc potissimum sese hieme recipere poeta confirmat, quod regio hiemali tempore tepescat. Nam Romani hieme regiones maritimas, internis calidiores, petere solebant. Etruriae autem littus maritimum molli per hiemem aere floret, unde ab aegrotis atque senibus invalidis frequentatur.

„Meum“ v. 7 sensu praegnanti sumendum est: ipse Persius ad mare tempore hiemali habere domicilium solebat, quod mare, ventis agitatum, intimis ex partibus agitatione excitatum, saeviens, id est hibernans, χειμαζομένη tepescebat. cf. praeterea interpretes ad h. l. Accuratius secessus naturam describit poeta inde a verbis „qua latus“ v. 7. Luna urbs perbono portu gaudebat, cui hodie est nomen della Spezzia. Hic portus, ingentibus rupibus a procellarum et maris impetu tutus, in lunae formam erat curvatus, atque ipsi inde urbi nomen dederat. Quae quidem regio quam amoena aliis quoque fuerit, Persius ut ostendat, in amici memoriam revocat illa verba Enni poetae ex annalibus allata. v. 9. cf. interpretes ad h. l. „Cor Enni“ v. 10. Cor est sedes mentis et prudentiae, inde cor saepenumero pro ipsa mente sumitur, quod praeterea ex adjectivis

compositis apparet: excors, vecors, quod est amens. Cor igitur Enni significat: sana mente praeditus Ennius, postquam nimio priori furore poetico est liberatus, hoc jubet. Illum furorem sequentibus Persius salse ridet. Ennius enim, antequam, qui justus suus finis poeticus esset, intelligeret, majora, quam fas erat, carminibus petens Homerus sibi erat visus. In somnio apparuisse sibi Homerum confirmaverat, qui diceret, ejus animam in suam transisse. Unde alterum Homerum vel Maeonidem sese esse Ennius putaverat. Difficultas quaedam inest voci „Quintus“ v. 11 utrum minusculo an majusculo „q“ scribenda sit. Equidem ambiguitatem dedita opera hoc loco Persium adhibuisse arbitror. cf. v. 2, v. 15, v. 30, v. 71. Castigare enim videtur poeta, philosophis Stoicis ascriptus. (cf. Jahn. proleg. XXVI.) Pythagoraeorum de migratione animarum doctrinam, quam Graeci παλιγγενεσίαν vocabant. Ex illa opinione, qua Pythagorae anima in pavonem erat translata, (cf. schol. ad h. l.) etiam Homeri animam in complurium animalium corpora transisse putabant, ut complures essent postea Homeri, quorum quintus ipse Ennius. Optimo inde jure quintus Maeonides sive quintus Homerus vocari poterat. Sed illa altera interpretatio haud scio, an praeterea sit comprobanda, qua quintus non est nomen numerale, sed potius praenomen Enni, cui illud praenomen erat, ut ex illo commento Ennius non jam esset. Quintus Ennius, qui re vera fuit, sed Quintus Homerus, fictus ille, majora quam licebat appetens Maeonides vel Homerus. Reprehendit praeterea hoc loco poeta, Enni nomine usus, tumidos istos sui temporis poetas, (cf. Jahn. proleg. LXX sqq.) qui nimis magno ore loquebantur neque tamen eis erant ingenii facultatibus, quibus poetae nomen merito dari posset.

V. 12. „vulgi“ vox summo cum contemptu adhibita

est; vulgus sunt homines, qui recti sensu atque humanitate prorsus careant, qui neque ipsi justa petant, neque de contrariis aliorum hominum studiis recte judicare possint. Sunt homines a studiis liberalibus atque poeticis, quae Persi et Bassi erant, quaeque unice hominem decent ingenuum, alienissimi, qui, quamdiu vivunt, aut nimiam rei familiari augendae operam impendant, neque tamen unquam contenti vivant, aut in deliciis quam maxime fruendis summum ponant bonum atque misere inde pereant. Quare poeta dicit: prava de me judicia ejusmodi hominum non moror, neque, praeclaro studio poetico deditus, facultatibus meis augendis nimis vaco, ut curis perpetuis macerer ob damna, quae „auster" v. 12 sive venti nocentes aut aliae calamitates agro ferre possint. Nam auster, quem Itali Scirocco dicunt, pestifer est non solum pecori sed etiam hominibus. „Pejoribus" v. 15: A. Persius Flaccus natus erat Vollaterris anno tricesimo quarto p. Chr. n. et ampla re familiari erat instructus, ut summa diligentia posset educari. (cf. Jahn. proleg. p. III sqq.) Sed illud „pejoribus" non solum spectat nobilissimam poetae nostri originem, sed etiam mores ejus atque ingenium, ut Persio, nobilissimo genere orto, liberalissime educato, non magis opponantur homines obscuro loco orti, quam homines prave morati, a parentibus prave moratis geniti, atque huic quoque loco acerba quaedam ambiguitas dicendi inesse videatur. „Recusem" v. 15: nolim. Voce „curvus" v. 16 poeta externum habitum eorum describit, qui, cum curis atque aegritudine nimis sint oppressi, corpore et oculis in terram versis in publicum prodire soleant. „Senio" v. 16: discrimen vocum senectutis et senii eo nititur, ut senectus et commoda et incommoda, quae affert summa aetas, declaret, senium tantum incommoda atque calamitates, quibus senes cruciari solent.

Neque solum de seniorum hominum calamitatibus ea vox usurpatur, sed de quacunque cura, qua hominis animus angitur, ut nostro loco. „Sine uncto" v. 16: sine unguento. Cibi uncti nobiliorum Romanorum erant ac delicati habebantur. Jam vero ignobilis et sordidi hominis miseram vivendi rationem describere pergit poeta v. 17. Mos Romanorum erat, ut vasa, quae res pretiosas continebant, obsignarent, ne servi eas laedere aut diripere possent veluti lagenae bono vino repletae obsignari solebant. Sed noster sordidus, qui vapidum tantum, id est acescens, vitiosum bibit, vel hujus vini vapidi, ne a servis diripiatur, adeo est curiosus, ut, ubi primum domum rediit, nasum ad lagenam obsignatam admoveat. „Horoscope" v. 18: sidera, inprimis quae sunt in Zodiaco, vim quamdam habere in res humanas superstitiosi illorum temporum Romani putabant, quam opinionem ex Oriente acceperant. Fatum cujusque hominis eo potissimum sidere pendere credebant, quod hora, qua natus est, surrexisset. Saturni sidus infaustum, Jovis faustum esse putabatur. Erant autem Romae, qui artem sortis humanae ex siderum collocatione praedicendae profiterentur et libros ea de re conficerent. Inde cuique homini certum quoddam sidus natalitium erat, cujus observatio et comparatio horoscopus vocabatur. Jam vero e siderum collocatione non solum cujusque hominis recens nati fatum posse perspici tradebant, sed etiam studia atque voluntates. Quid ergo? Qui sub uno eodemque sidere sunt nati, sunt aut felices aut infelices, evadunt aut boni aut mali, aut ambitiosi aut modesti, aut avari aut luxuriosi, prout id sidus sese habet, quod hora qua nati sunt apparuit. Inde ex astrologorum doctrina, quam poeta acerbissime reprehendere videtur, qui gemini nascuntur et fato eodem sunt, et eadem natura atque indole, ut alter eandem quam alter

vitae sortem consequatur, et alter aeque atque alter sit moratus. Sed minime, pergit poeta, res sese ita habet. Vel gemini, sub eadem hora et sub eodem sidere nati, quod attinet ad indolem, saepenumero sunt sibi diversissimi, „varo genio" v. 18, v. 19. Genium cum homine nasci et mori atque ejus fortunae esse participem veteres credebant. Genius hominem per vitam ducit et post mortem ejus ad genium universum revertitur, qui omnem vitam spargit. Prisci Romani (cf. Horat. epist. I, 1, 143) sacra ei faciebant, atque etiam postea die natali suo quisque genio vinum, flores, thus offerebat. Varus autem est, qui est distortis cruribus, unde omnino de eo usurpatur, quod sibi contrarium et diversum est. Ut igitur totius loci sensum usque ad vocem „utar" v. 22 paucis comprehendam: Saepenumero etiam gemini diversissimo fato, diversissima indole sunt. Neuter rectum in vita modum tenet et sapientem sese praestat: alter justo est parcior atque sordidior, alter luxuriosior. „Solis natalibus" v. 19: dies natalis a Romanis epulis splendidis celebrari solebat; sed iste homo sordidus ne hac festa quidem occasione oblata lautius agit, immo contentus est olere, victu tenuissimo et vilissimo, praeterea hoc olus est siccum v. 20, caret unguento: vafer v. 20: nimis providus tingit illud olus muria, aqua salsa, sale commixta, quod vilissimum salsa menti et liquaminis genus est: at ne muriam quidem in penu habet, sed in calice, vasculo illa die tantum emit, quantum possit sufficere; „ipsa irrorans piper sacrum patinae" v. 21: irrorat, instillat, guttatim defundit: quamquam piper est aroma vulgatissimum, tamen tamquam sacro sordidus iste homo eo utitur. Sacrum, *ἱερόν* est quod tangere aut violare nefas. Sanctae profecto avaro opes suae esse videntur, quibus tamquam sacris parcere cogatur, et ne piperis quidem satis

ad cibum adhibeat: „ipse“ roris instar piper defundit, aut quod omnino ministrum non habet, aut quod ministro tantam rem committere non audet. At alter geminorum adeo est deperditus, adeo pravus, ut inde a prima pueritia magnanimus v. 22, fortis, quasi rem praeclaram gerat, amplas suas facultates, nimia edendi luxuria inductus, dente, gula absumat. „Utar ego“ v. 22 sensu praegnanti est accipiendum, ut saepe Graecum χρῆσθαι: re familiari a patre mihi relicta ego prudenter fruar, justos in vita fruenda ego terminos tenebo, ab utraque stultitia procul abero, ut neque sordidus vivam, neque nimios sumptus faciam, aut epulis aliis parandis aut gulae meae nimis indulgendo. „Lautus“ v. 23: nimis prodigus et liberalis. „Ponere rhombos“: rhombi pisces maximi pretii erant et a gulonibus divitibus Romanis plurimi aestimabantur Liberti multo viliori ceteris civibus loco habebantur. A domino, qui eos manu miserat, una cum clientibus et parasitis interdum ad coenam vocabantur. Sed hominis stulti et vesani est, in epulis hominibus obscuris extruendis nimios facere sumptus atque rem familiarem deperdere. Quamquam multi aequales in eo praecipue enitebantur, ut poenis lautis vel ignobilibus paratis liberalitatis atque benignitatis famam sibi compararent et popelli in se gratiam conferrent. „Sollers“ v. 24: qui eximiam habet artem agendi, cogitandi, sentiendi, hoc loco is vocatur, qui magnam in dijudicanda animalium, inprimis piscium natura artem atque peritiam ostendit. „Tenuem salivam turdarum“ v. 24. Aptissime Persius ad gulones castigandos hoc exemplo utitur. Turdis enim, qui Graecis quoque in deliciis erant, primum inter aves locum Romani concedebant, unde Horatius epist. I, 15, 41, nepotem quendam dicentem faciat, pinguibus turdis nihil esse melius. Martialis autem XIII, 92 turdum avem optimum, maximi

habendum appellat, qui primum inter aves locum meritissimo obtineat. Quare saepenumero amicis dono mittebantur. Homines gula, luxu insignes, ut Lucullus, domi turdos quam diligentissime nutriebant. Turdi simulatque capti sunt saginandi causa aut in ornithonibus amplis, villae septis, aut apud fartores urbanos in cellis angustis et obscuris alebantur, quo celerius pinguescerent. Persius formam turdarum sibi finxit, quum ejusmodi vocabulum nusquam apud auctores reperiatur, et vox turdi non solum masculinum animal sed etiam femininum significet. Sed tamen qua re adductus poeta id fecerit, neminem fugiet. Perstringit enim hoc loco Persius hominum quorundam in dijudicandis et discernendis cibis subtilissimum palatum, qui quae cuique pisci aut avi, gulae inservienti, sit propria natura et aetas, quin etiam genus exploratum habeant. Ganeones haud raro inveniuntur tam subtiles tamque sollertes, ut morsu saporem quamvis tenuem turdarum a turdorum, minus tenui, discernant. „Tenus" v. 25: contra Jahnium solita vocis ejus notio retinenda esse videtur. (cf. Jahn. p. 218.) Non est adverbium, sed praepositio: usque ad, admodum, pro modo, quoad licet, ex messe tua, quae tibi propria est: pro modo redituum tuorum, redituum sapienter ratione habita, sive sunt ampli sive exigui. Pro singulari, propria tua conditione, pro singulari tua re familiari vitam dege. „Granaria emole": Quantum in horreis condidisti, quantum frumenti in granariis congessisti molendo consume; tantum ad vitam tuam sustentandam prudenter adhibe; id „fas est": tali ratione si ages, non peccabis neque male audies. Nihil tibi est metuendum; para tis bonis sine cura frui potes; agrum tuum si bene colueris, veteres fructus tibi consumenti recentes erunt sperandi. „Occa" v. 26. Occare enim est ex schol: satione facta grandes glebas

caedere et ligonibus frangere; est igitur pars agriculturae, quae hoc loco pro tota agricultura posita est. Si diligenter opera rustica obieris, „seges altera in herba est". „In herba est" proverbii loco de iis rebus usurpari solet, quas probe sperare possumus: in herba frumentum esse dicitur, quod succrescit necdum aristas procreavit. Quae sequuntur „ast vocat officium" v. 27, minime, ut Plumius p. 513 putat, avari alicujus verba sunt, qui ideo rei familiari et reditibus nostris parcendum esse contendat, ut habeamus, unde amicum calamitate fractum sublevare possimus, sed ipsius poetae, ut hic sensus sit: at si amicitiae officium postulet, ut liberalitate nostra aliorum calamitates minuamus, veluti detrimentum, quod familiaris naufragio cepit, neque reditus nostri sufficiant, ad illud officium exequendum etiam de ipso capite quantum necesse est detrahere debemus. „Bruttia saxa prendit" v. 27: amicum sibi fingit, qui omnibus rebus naufragio perditis cum fluctibus luctans vix tandem ad scopulum salvus ipse emersit. Bruttiam regionem propter procellas ibi frequentissimas nautae horrebant. Multa ibi erant promontoria, multa pericula navigantibus afferentia atque inde valde timenda. „Surdum" v. 28 est quod non auditur, unde vota surda ejusmodi preces sunt, quae inutiles atque irritae fuerunt. Naufragus ille amicus deos tutelares frustra obsecraverat, ut naviganti sibi essent propitii seque incolumem non solum ad finem itineris ducerent, sed etiam in patriam multis bonis auctum referrent. „Jacent ingentes de puppi dei" v. 30: deorum tutelarium simulacra in cujusque navis puppi collacata erant, quibus dis navigantes quum procellis jactabantur vel maxime supplicabant. Ab illis deorum tutelarium imaginibus insigne, *παράσημον* navis discernendum est, quod in prora locum habebat *παράσημον* vel dei vel herois vel cu-

juslibet rei imago erat, unde navis nomen acciperet et ab aliis navibus, iis imprimis, quae structura et ornamentis erant similes, dignosceretur. cf. Plum. p. 514. Ambiguum autem est quomodo illud „ingentes“ sit interpretandum. Utrum ironice accipiendum sit necne quaeritur. Sensum ironicum huic vocabulo inesse Henrichius arbitrari videtur. p. 166. Aliter censeo. Ingentes dei sunt maximi dei, maxima, amplissima deorum simulacra, ut insit adjectivo descriptio deorum tutelarium in puppi collocatorum. Neque vero qua ratione ductus illud vocabulum poeta elegerit, quemquam fugiet, quum magnitudine simulacrorum totius navis magnitudo declaretur. Navis ingenti magnitudine erat et multas merces vehebat. Poeta igitur adjectivo ingentes, ut bene Jahnius animadvertit p. 219, magnitudinem naufragii ostendit, quod amicus ille fecerit. Jam vero quo majori calamitate amicus noster oppressus est, eo magis nostrum est ei succurrere, eum erigere, vel magno rei familiaris nostrae damno, vel „cespite vivo fracto“ v. 32. Mergi sunt aves marinae adeo voraces, ut ipsa excrementa aliarum bestiarum comedant. „Cespes vivus“ v. 31: est ager virens, qui herbas alit, unde messi illi, frugibus in horreis conditis, obstat. Tum ni proventus agri sufficiant, inopi amico ipsius fundi particulam largiaris, ne in summam ducatur miseriam, neve aliorum in quos forte incidit misericordiam implorare debeat, quod tibi ipsi esset dedecori atque malam famam compararet. Is sensus verbis inest „ne pictus“ sqq. v. 32. Solebant naufragi, quo misericordiam excitarent, aut navis fragmina si quae erant secum ferre, aut habitu tristissimo et vultu moestissimo pictam in tabella quam pertulerant tempestatem habere et miserabili illa pictura ad stipem sibi erogandam obvios impellere. Sese ipsum cum fluctibus luctantem in navis demersae

effigie naufragus saepenumero exhibebat, ut nostro loco. „Caerulea“ v. 33 autem inde tabula vocatur, quod colorem maris tempestate excitati repraesentat. „Sed“ sqq. v. 33 sunt verba alicujus, qui rem familiarem propterea conservandam esse contendit, quod heredes nostros spectare debeamus. Quos heredes hereditate quam sperassent deminuta honores post mortem nobis tribuendos alios prorsus esse neglecturos, alios minus rite atque diligenter curaturos. „Negliget coenam funeris“ v. 24. Duplex coena funeris erat: altera quae vocabatur silicernium, Dis Manibus exhibebatur; constabat plerumque sale, leguminibus, ovis. Ad rogum apponebatur, neque cuiquam mortalium fas erat tangere. Nam qui de iis comedisset aut bibisset, quae Manibus illata erant, funestabatur et in abjectissimorum hominum numero ponebatur. Quod autem scholiastes ad h. l. hoc genus coenae funeralis nostro loco intelligendam esse censet, vehementer errare videtur. Potius poeta alteram illam coenam funeralem respicit, quae justo funere peracto cognatis et amicis defuncti domi apparabatur. Quo pluris mortuum heredes habebant, eo splendidius atque lautius illa coena exstruebatur, visceratione interdum populo praeterea data ludisque publicis factis. Neque vero solum publicum hunc honorem heres ob rem curtatam a te alienus, negliget, sed etiam caetera, horribile dictu, quae ad funus rite persolvendum pertineant quaeque cum religione cohaereant haud ita juste curabit; „urnae ossa inodora dabit“ v. 35: Mortui ossa, postquam cremata sunt, colligebantur, lacte et vino collecta adspergebantur et ad postremum unguentis et odoribus mixta urnae tradebantur. Haec unguenta cinnamo et casia fieri solebant. Duo genera cinnami veteres cognovisse videntur, alterum album, alterum nigrum; quod cinnamum ex Aethiopia advehebatur, venustissimum

Romanorum erat unguentum et plurimi habebatur. Sed cinnamum aliis rebus minus pretiosis saepenumero commixtum atque inde corruptum esse videtur, ut minus suavem odorem redderet et „surdum spiraret“ v. 35. Nam vox surdi et de sono et de colore et de odore usurpatur. Similis cinnami naturae casia fuisse videtur, quae juxta cinnamum nascebatur. Erat frutex aromaticus suavissimi odoris, ex Arabia et Aethiopia advectus. Mixto oleo, quod suscipiendis odoribus aptissimum est, unguentum inde conficiebatur. Quod unguentum, plurimo venditum, styrace aut aliis rebus a pigmentariis saepe corrumpebatur. Adulterata autem casia, quae sane minori quam sincera emebatur pretio, homines egeni aut sordidi utebantur. Nostro loco fictus ille heres avarus, qui, quod propinquus bona profudit, magnum in eum sumptum facere recusat, casia corrupta utitur. „Tune bona incolumis minuas“ v. 37 habet hic locus conclusionem ironicam ex verbis praecedentibus, neque tam est avari alicujus adversarii, quam ipsius poetae, ut hic sensus proficiscatur: Homines honores post mortem sibi tribuendos spectare solent. Inde heredis voluntati obsequuntur, ne is re familiari deminuta se mortuos, qui luxuriosius vixerint, ulciscatur sibique justos post mortem honores deneget. Neque vero ira heredis solius, pergit poeta, bonis tuis plus quam satis est egenis largiendis atque inde deminuendis post mortem tibi metuenda est, sed etiam quamdiu vivis in multorum hominum severorum vituperationem incides, qui, luxuriam tuam carpentes, causam atque originem ejus aeque increpabunt, doctrinam istam, qua imbutus es Graecam, quippe quae ingenuos atque simplices Romanornm mores prorsus degenerarit. „Et Bestius urget“ v. 37. Quod attinet ad constructionem subjicitur heres, apponitur Bestius: ut alter

Bestius, heres urget, ut alter Bestius cf. Henrich p. 167. Est Bessius ille Horatianus, (epist. I, 15, 37) homo sordidus atque avarus, cujuscunque luxuriae contemptor, qui ventres nepotum lamina candente adurendos esse confirmet. Idem ille Bestius sapientiam a peregrinis ascitam luxuriae causam esse contendit, omne litterarum Graecarum studium ut inane ridet et contemnit, et quum moribus Romanorum perniciosum sit, quasi Cato redivivus abominatur. „Ita fit": id est, ita fieri solet, ex quo tempore magistri Graeci, vana doctrina ducti, amicis egentibus esse succurrendum juvenes nostros docuerunt. In loco qui sequitur interpretando inde a „postquam" interpretes doctissimi valde haeserunt. Longum est, diversas et de constructione et de sensu loci eorum opiniones afferre. Sententiam meam paucis complectar: Gravior interpunctio, ut signum commatis cum puncto vel duorum potius punctorum, adhibenda est post „fit"; subjicitur in protasi sequente, quae voce „expers" clauditur, infinitivus „sapere": postquam haec Graecorum sapientia, quae jam nostri generis, nostri populi, nostra facta est, ad nos urbanos „cum pipere et palmis", cum mercium et rerum externarum notitia pervenit, non solum cives nostri perniciosam quandam docentur doctrinam et nimios ad victum sustentandum sumptus faciunt, sed etiam mores rusticorum, antea tam rudes atque simplices, exinde depravati sunt, ut hi quoque luxuriae nimis indulgeant. Jam singula recenseamus. „Cum pipere et palmis" v. 39. Piper posteriori demum tempore ex Oriente, imprimis ex India, Romam advectum est. Apud antiquos Romanos baccam myrteam piperis obtinuisse vicem scimus, quin etiam a pipere in obsoniis utendo illos abhorruisse. Sed postea Romani piperis appetentissimi erant; piper, imprimis Indicum, aroma erat vulgatissimum nobilium Ro-

manorum et, ut aurum et argentum, plurimi venibat. cf. Plum. p. 522, 284. Fructus palmarum, imprimis earum quae ex Aegypto afferebantur, Romani adamabant et ad unguentum faciendum adhibebant cf. Jahn p. 220. Optimo jure Henrichius v. „nostrum“ v. 39 magnam quandam acerbitatem habere judicat, ut locus significet: Haec institutio a Graecis advecta quae totam per urbem et totam Italiam summo nostro incommodo propagata est. Jam vero quaeritur, quid sit „maris expers“ v. 39. Mitto aliorum interpretationes cf. Plum ad h. l. Duentzer die Römischen Satiriker p. 220. Unam Jahnii rectam esse censeo cf. p. 221. Poeta noster locum illum Horatianum spectat sat. II, 8, 15: „Chium maris expers“ quo mare idem est, quod sal marinus sive aqua marina. Graecorum autem mos erat, ut vinis quo facerent dulciora atque salubriora salem marinum adderent. Nam putabatur aqua marina vinum purum reddere, malum ei odorem demere atque inde ventrem bibentis solvere, flatus gignere et cibos concoquere. Unde quod aquae marinae non est particeps, quod maris est expers, id minus dulce est, minus salubre et illud „sapere nostrum maris expers“ est ejusmodi sapientia, ejusmodi doctrina, quae hominibus noceat. Neque solum civibus urbanis cognitio litterarum Graecarum, elegantiorem vivendi rationem et luxuriam profitentium, summo incommodo fuit, sed etiam rusticis, ut priorem morum simplicitatem abjecerint neque simplici patrum cibo contenti sint. Nam „puls“ v. 40 erat antiquissimus Romanorum victus, ex farre, aqua, melle decoctus. Pultis, quae sine adipe sumebatur, frequentior apud eos usus erat quam panis. Sed Persi temporibus rustici ei „crassum unguen“, unguentum, unctum, plurimum adipis admiscebant. „Haec cinere ulterior metuas?“ v. 41, sunt verba poetae: Num, postquam fato functus es, sordes

heredis in funere faciendo tibi curandae sunt, utrum splendide fiant necne, utrum mortuum te ille negligat necne? Num sapientis est, heredis eorumque, qui illius similes sunt, morari convicia, quae in se litteris Graecis imbutum, et in doctores Graecos jactant? Minime. Quae quum ita sint, in sublevando inopi amico, in officiis humanitatis obeundis heredis nostri nulla ratio habenda est. Immerito autem heres, illam liberalitatem vituperans, institutionem meam cultiorem atque elegantiorem, a Graecis doctoribus traditam, solam liberalitatis causam esse putat. Aliae justae occasiones esse possunt, publice oblatae, unde divitum facultates detrimentum capiant, quae ad institutionem meam non pertineant neque Graecorum praeceptis crimini dari possint. De quibus occasionibus velim „paulum a turba" remotior tecum colloqui, ne quid alii exaudiant. Nam si delatores scirent, te avaritia ductum prohibere me velle quacunque liberalitate, sive est privata sive publica, ne minuantur fortunae, ad magistratus te deferrent, quod summae perniciei tibi esset. Locus „meus heres quisquis eris" v. 42. significat de herede propinquo sese non ita esse sollicitum, utrum hereditatem suam adeat necne, neque omnino heredis personam in re familiari fruenda ad se quidquam pertinere. Versibus 43 usque ad versum 47. exemplum continetur, quo poeta ostendit, certas quasdam occasiones intercedere posse, quibus oblatis nemo civis opibus instructus, si velit esse incolumis, a sumptibus faciendis et inde re familiari minuenda abstinere possit. Animum advertit magna quadam dicendi acerbitate usus ad ridiculam illam Caligulae imperatoris in Germanos expeditionem anno quadragesimo p. Chr. n. factam, unde reversus (Sueton. Calig. 47) procuratoribus, quasi hostibus devictis, scripserat: „Triumphum appararent minima summa,

sed quantus nunquam alius antea fuisset; quando in omnium hominum bona jus haberet.“ „Laurus“ v. 43. Plinius H. N. 15, 30: „laurus Romanis praecipue laetitiae victoriarumque nuntia additur litteris et militum lanceis pilisque; fasces imperatorum decorat.“ Unde solebant imperatores Romani, ubi primum hostes superassent, senatui ad nuntium laetum afferendum tabellarios cum hastis laureatis et litteris quibus laurus involuta erat mittere. „Insignem ob cladem“ v. 44: poeta ictum auget, quo jam tetigit ridiculas illas Caligulae minas in Germanos, gentem ferocissimam et Romanis infestissimam, quas Tacitus in ludibrium esse versas confirmat. (Germ. 37.) „Frigidus excutitur cinis“ v. 45. Longo ex tempore boum sacrificiis arae non incaluerant et ad nova sacrificia quae in triumphis fieri solebant erant exstruendae. „Jam locat Caesonia“ v. 47. Illud munus triumphi apparandi Caesar tribuerat procuratoribus, poeta noster Caesoniae tribuit, quae Lollia Pollina rejecta imperatori nupserat. Omnia ad triumphum fictum necessaria redemtoribus paranda locat eique redemtorum, qui poscit minimum, publice addicit. Nam Caesoniae captivi, vestes, spolia caeterae res deerant quae in triumpho desiderari solebant, quoniam triumphus, de quo agitur, simulatus erat, neque de hostibus victoriam Caligula reportaverat. Quae et ut promta essent et ut imperatoris jussu minimo sumpto fierent, publice conducentibus erant locanda, qui ista apud artifices elaboranda susciperent. Locare censorum esse solet, qui opera publica conducentibus exstruenda publice addicunt. „Arma“ v. 45: spolia hostium et templis adornandis affigebantur et aedibus privatis, imprimis triumphatorum, unde ea adimere ne emtoribus quidem licebat. „Chlamydes“ v. 46 χλάμυς, indumentum quo Graeci bello uti solebant (cf. Henrich ad h. l.) hic pro quavis veste mi-

litari adhibetur. „Regum“ v. 46. Ante currum quo triumphator vehebatur primi ducebantur reges victi, quos multos in triumpho producere summae gloriae erat. Capti illi, undecunque asciti fuerant, qui reges agerent et vestibus pretiosis quales reges decent, erant induti et quo magis Germanos simularent „gausapis luteis“ ornati v. 46. Ut enim Germanorum comam, quum rutilans esset, imitarentur captis gausapae luteae imponebantur. Gausapes enim hoc loco non est vestis (cf. Henrich, p. 145, 168) sed genus pilei, tegumentum capitis vel potius capillitium adscitium, ut saepenumero. Illa de quibus agitur, tegumenta luteis, flavis, rutilis pilis erant confecta. Capti igitur illi, qui aut per commercia emti erant aut aliunde adducti aut profugi, quum nobiles Germanos captivos simulare deberent, non solum procera statura erant, sed etiam crinibus in speciem Germanorum rutilorum formatis. Caeterum tegumenta, pilis luteis composita, apud Romanos praeterea in usu fuisse et artem crinium rutilandorum luxuriam antea docuisse constat. (cf. Jahn. p. 223.) „Ingentes Rhenos“ v. 47. In triumpho non solum captivos praedamque agere sed etiam imagines earum regionum ferre solebant, in quibus bellum bene gestum erat, praeterea montium, fluminum, rerum omnium, quae ad victoriam reportatam pertinerent. (cf. Plum. Jahn ad h. l.) In triumpho vero de Germanis lato Rheni, praecipui illius Germaniae fluminis, simulacrum aeque deesse non poterat, atque in Drusi triumpho de Germanis Romae producto non defuerat. (cf. Jahn. h. l.) Nam Romani Germanis devictis gloriari deque iis splendidos ferre triumphos quam maxime adamabant, (cf. Tacit. Germ. 37) unde Rheni imago ob insignem victoriam de Germanis ferocibus reportatam pluries producebatur, et ita producebatur, ut compluria Rheni signa essent amplissima. Itaque

dicit poeta: „ingentes Rhenos"; quibus vocibus summa inest dicendi acrimonia. Quamquam negari non potest, pluralem numerum „Rhenos" etiam posse significare: maximas imagines fluviorum Germaniae, non solum Rheni sed etiam aliorum minus grandium producebant quasi Rheni essent, ut Amisiae et Visurgis, ad quos fluvios jam antea Romanos accessisse notum est. Sed praeterea privatos sumptus Caligula imperaverat: „quando in omnium bona jus haberet." Itaque victimis et donis arae ad triumphantis gloriam augendam cumulatae sunt; alius civis alium liberalitate superare studuit, quo majorem sibi principis gratiam conciliaret aut certe iram ejus effugeret. Inde mihi quoque, dicit heredis adversarius, sumptus, quantum licet, faciendi sunt, quos quominus faciam prohibere nefas est. „Genio ducis" v. 48. Genius Caligulae publice colebatur ut per ejus genium cives jurarent. „Capite autem multabatur a tyranno qui per genium suum dejerare detrectaverat." (Suet. Calig. 27.) „Induco centum paria" v. 49: sunt vocabula technica in ludis gladiatoriis usurpata. Ad induco suppleas: in arenam. Gladiatores in arenam per paria inducebantur et componebantur. Ludi gladiatorii, qui in religionis parte numerabantur, non solum in funeribus sed omnino in festis occasionibus a privatis edebantur. A nostro divite in honorem imperatoris fiebant festa triumphi occasione oblata. „Quis vetat?" v. 49: ejusmodi largitionem, adeo solenni die factam, nemo reprehendere audebit, quod si quis faceret poena publice afficeretur. Heres sibi poterit plaudere, si dives, cujus hereditatem sese aditurum esse sperat, gladiatoribus inductis liberalitati finem imposuerit. Nam propinquus sibi ipse consulit atque providet, si etiam majores sumptus facit si etiam liberalius atque lautius agit et praeter ludos oleum et viscerationem popello

largitur, unde majorem sibi principis gratiam conciliet et praeclaram apud populum famam consequatur. Quod ut faciat, invidia tua atque indignatione facile commoveri potest. Saepe enim diebus festis oleum gratuitum plebi a munificis dabatur. J. Caesarem quondam cuique civi egeno praeter frumentum decem pondera olei distribuisse constat. (cf. Duentzer ad h. l.) Addebatur oleo interdum aut caro aut caro cum pane conjuncta, quod est *ἀρτόκρεας*. v. 50: id vocabulum apud auctores Graecos non invenitur. Quum autem ab interpretibus (cf. Jahn) voce viscerationis reddatur, quoedam carnis et panis mistura esse videtur, panis qui carnem continet, quem vulgo vocant: tortellum. Jam vero ob nimias propinqui profusiones heres avarus adeo ira incensus est, ut ne verbum quidem prodere possit. v. 51 sed indignabundus tantum mussitet. Itaque ejus vices ipse ille munificus gerit ut dicat: „non adeo; ager exossatus" caet. v. 51. Quamquam enim in plerisque libris manuscriptis non legitur: non adeo, sed „non audeo" ea tamen lectio librariorum culpa orta esse videtur et vel propter ipsum metrum rejicienda est. (cf. Jahn. p. 65, 66.) Nam quod Plumius p. 534 ad hoc adeo conservandum affert au pro more suo libero poetam corripuisse minime morandum est. Ipsum vero adeo dupliciter explicatur: sunt, qui verbum esse censeant eique esse objiciendum: hereditatem. (cf. Henrich ad h. l. Plum p. 535.) Sed Jahnium potissimum ducem sequor, qui „adeo" vim adverbii habere arbitratur (cf. p. 224): non adeo te prohibeo; non enim est operae pretium, neque te ipsum neque rem familiarem tuam adeo jam curo, non adeo te prohibeo, quominus ad assem usque rem tuam redigas. Neque vero ullam tui habebo rationem, ne mortui quidem. Eo enim res pervenit, ut ager tuus juxta, prope exossatus sit v. 52: exhaustus ad ossa. Haec locutio

de iis usurpata esse videtur quorum vires absumptae sunt. (cf. Henrich p. 169. Jahn 224.) Sed respondet ad ea poeta: quod tu hereditatem a me relinquendam spernes neque heredem meum te gerere voles id haud ita doleo. Ut omnes et qui nunc sunt et qui erunt consanguinei, ut omnes etiam agnati hereditatem meam parvi aut nihili habeant, meque mortuum ob rem familiarem neglectam atque profusam suorum fuisse negent, tamen facile inveniam, qui meum esse heredem libenter sese profiteatur. „Accedo Bovillas" v. 55. Non est cur hoc loco cum Jahnio proleg. V. conjiciamus poetam praedia in via Appia habuisse, paucis millibus a Bovillis distantia, quod totum salem loco adimeret. Bovillae vicus ad undecimum lapidem viae Appiae et prima statio erat; (cf. schol) jacebat inter Romam et Ariciam. (cf. Plum ad h. l.) „Clivus Virbi" v. 56: Simul cum Diana Virbius eo inclivo colebatur, quem cum Graecorum Hippolyto comparabant. (cf. schol ad h. l.) Ille clivus quatuor millibus ab urbe distabat et erat Ariciae vicinus, unde clivus Aricinus vocabatur. (cf. Jahn. p. 347.) In via autem quae Roma Capuam ducebat haud ita celeriter currus vehere neque viatores procedere poterant, ut qui curru aut pedibus illud iter faciebant, in singulis stationibus longius commorari solerent. Quare evenit, ut plurimi homines egeni et mendici obviorum misericordiam implorantes ibi invenirentur et tota illa regio malam apud Romanos famam haberet. „Praesto est mihi Manius heres" v. 56: apud Festum s. v. Manius legitur: Manius agrum Dianae consecravit a quo multi et clari viri orti sunt, unde proverbium: Multi Manii Ariciae. Sed postea quum Aricia labare coepisset neque jam cives opibus florerent, in ignobilitatis famam incidisse videntur, ut illud proverbium plurimos ibi esse mendicos potius significaret. (cf. Henrich.

ad h. l.) Scholiastes autem ostendit Manii nomen postea usurpatum esse ad hominem deformem atque ignobilem, vel servum notandum. (cf. Jahn. p. 348. not 1.) „Praesto est“: haud multae erit operae huc quum processero invenire aliquem, quisquis est, qui libenter heres meus esse velit. At his verbis propinqui, qui ne ignobilem et servilem quidem hominem sese spernere heredem confirmarit, heres, qui nobilissimo loco ortus sit, summa afficitur indignatione: Tune, equestri genere profectus (cf. Jahn proleg. V. sqq. p. 233, 239) cujus majores summos in civitate honores assecuti sunt, homini ignoto, progeniei terrae v. 57 hereditatem tuam vis relinquere atque nobili tuae origini maculam aspergere? Nam terrae filii ii vocantur, quibus non sunt nobiles majores, quibus genus est incertum. Poeta haec ita refutat: Nihil referre, quo sit quisque patre natus dummodo probus, utrum nobili an ignobili; nam homines, si quam altissime repetamus, omnes unius ejusdemque esse originis obscurae; omnes, quamvis nobiles homines, a filiis terrae esse natos. Quae sententia versibus v. 57—60 continetur: abavi genus vix dicere possum; sed atavi et tritavi dicere non possum, unde ejus majores mihi sunt loco obscuro orti, sunt, ut ille Manius terrae filii. Ergo Manius ille, quem heredem meum esse volo, mihi cognatione aliqua attingit, mihi est, quamquam longinqua cognatione, junctus; „Manius exit mihi prope“, avunculus major prope vocari potest. Avunculus major, avunculus avii aut aviae, (cf. Henrich. h. l. et Jahn) hoc loco is est, qui remotissima propinquitate nobis coujunctus est. (cf. Plum h. l.) „Ritu generis“ v. 60: Jahnii interpretationem qua ritu idem est quod „rite“ comprobandam esse nego. Henrichium potius interpretem amplector ut sit: respectu generis, ratione generis, origine prima spectata. Recte etiam scholiastes

explicat: secundum ritum generis. (cf. Duentzer 221.) Non est, pergit pocta, cur tu, quamquam mihi. Manio cognatione propior es, quamquam mihi legitimus hereses, (cf. contra Jahnium de explicatione vocis prior. Plum. p. 539. Henrich 169. Duentzer 222.) mihi vivo, non jam mortuo, hereditatem exigas, cur iis me uti non patiaris, quae mea sunt, et ob liberalitatem meam me reprehendas; immo talem te gerens summa me injuria afficis, „in decursu me lampada poscis" v. 61: Utitur in sequentibus imagine de lampadum cursu sumta, quem uberius exposuerunt Plum et Jahn ad h. l. Juvat scholiastae notam afferre: „Apud Athenas ludi celebrabantur in quibus cursu juvenes certabant et qui victor erat primus facem tollebat, deinde sequenti, tradebat et secundus tertio, similiter omnes faciebant et sibi invicem, tradebant, donec currentium numerus compleretur." Illi ludi in deorum, imprimis Promethei, honorem fiebant, qui hoc ludorum genus primus instituisse dicitur. Et pedites et equites cum facibus certabant, cujus certaminis summa in eo ponebatur, ut faces in cursu accensae servarentur. Duplex certaminis erat genus: in altero quisque cursor facem suam gestabat et is victor renuntiabatur, qui primus cum face ardente ad metas pervenisset; in altero, quod noster poeta spectat, is qui cursum ad certum finem cum face ardente perfecisset, illam sequenti, proxime stanti tradebat, dum is, qui in postrema statione erat collocatus, facem ardentem ad metas ferret. Praecipue hac posteriori imagine de lampadum cursu sumta ad vitae necisque conjunctionem significandam veteres utuntur, qua is, qui moritur, qui fato perfunctus est, qui cursum vitae absolvit, alteri cuidam proximo suum, quem tenuit vitae locum, tradit aut lampada, qua in illo vitae cursu usus est, quo quoad vivebat, egere non poterat. Ut autem

erat contra leges de illis ludis sancitis lampadem poscere, antequam currens cursum persolvisset, antequam eo alter pervenisset, quo erat perveniendum, ubi certaminis erat finis, ante quam decurrisset, ita proverbii loco de eo dicitur „in decursu aliquem lampada poscere“ qui ab altero aliquid immerito poscit, qui aliquid poscit quod est alterius, qui aliquid exigit, quod exigere nefas est. Unde poeta dicit „in decursu“: quum curro. „Sum tibi Mercurius“ v. 62. Mercurius fuit deus lucri et mercaturae, *ἐριούνιος, δώτορ ἐάων*, et de iis rebus adhibetur quas immeriti, exigua aut nulla potius opera impensa sumus adepti. Quare is qui in multis rebus haud ita aegre assequendis felicissimus est, amicus Mercuri vocatur. (cf. Horat. sat. II, 3, 25.) Itaque marsupium, lucri symbolum, sinistra gestans ab antiquis repraesentatur. Haec igitur huic loco inest sententia: Quidquid tibi reliquero, lucri loco tibi erit habendum: erit denum tamquam a deo datum, res insperata, in via inventa, immerita. „Ut ille pingitur“ v. 63: ut Mercurius in picturis crumenam ostendit, sic ego tibi immerito offeram, quidquid meae rei familiaris reliquum erit. Non magis autem vesanus ille vocatur, qui, quod bonum facile potest assequi, spernit et rejicit, quam tu, nisi relicto contentus es, si hereditatem quamvis deminutam vis rejicere. Quem sensum verba praebent: „an renuis“? v. 63 et quae sequuntur, interrogationis forma composita. „Deest aliquid“ v. 64: non ut Jahnius censet verba avari sunt, neque toto sententiarum connexu esse possunt, sed ipsius poetae, cujus sermo usque ad vocem „paterna“ v. 66 procedit. Rectissime Henrichius supplet ante deest: si. „Sed tibi totum est“: quaecunque tibi post mortum reliquero, tibi erit fingendum, omnem rem familiarem a patre mihi traditam integram atque salvam esse, non diminutam. De varia

lectione vocis Stadius v. 66 (cf. interpretes). Ne cura quantum pecuniae a patre acceperim, quidquid huic summae aliorum testamentis additum sit, neve quorundam patrum avarorum exemplum imitatus me adhortare, ut rem familiarem traditam quam diligentissime conservem et foenore exercendo non solum vitam meam sustentem sed caput etiam quam possim maxime augeam; „neu dicta repone paterna“: ne suscipias patris veri partes et ejus avari patris, qui liberos ad foenus exercendum impellere studet. Ad vocem „foenoris merces accedat“ v 67 perspiciendum ad notam scholiastae animum advertas: Tractum est hoc a patribus qui dicunt filiis suis: Hoc quod vobis lucri de foenore accessit ad fructum, id est ad usum vitae, vobis proficiat, reliquum vero pecuniae reservate integrum.“ Castigat illis verbis poeta primum arrogantiam heredum qui patres saepenumero sese gerunt, tum autem avaritiam eorum morumque corruptionem, qui turbissimis adducti consiliis suis rebus propinquum uti non patiantur, immo, quo majorem heriditatem adeant, ad res turpissimas, velut foenus exercendum illum adhortari non abhorreant. Habet igitur noster locus magnum quoddam totius disputationis momentum: Persius dicit: Summae esse stultitiae, in victu sustentando et in re familiari adhibenda morari heredem et illo spectato neque officiis humanitatis neque officiis publicis obtemperare. Non esse, cur heredes in sapienti usu vitae spectare debeamus, qui quidem avaritia plerumque permoti non justis sed injustis, turpissimis commoveantur rationibus, ubi ad parsimoniam nos admoneant, ita ut si eis justo majis pareamus non solum vitam degamus miserrimam sed summa etiam ignominia officiamur. Nam elucet versu v. 67 egregia quaedam poetae nostri, vita moribusque sanctissimi, (cf. Jahn proleg. XLIII.) indignatio de

foenore nimio, exercendo, peste illa suae aetatis cf. omnino de modo computandarum usurarum apud Romanos. (Plum p. 424 sqq. not.) Sortem totam foenore occupandam in centena dividebant, et centena in mensem maxima et legitima, quam stipulari licebat, usura erat. Neque tamen his usuris ne centenis quidem quamquam magnis foeneratores avari contenti erant. Centesimas binas, ternas, quaternas saepenumero exigebant foeneratores, immo etiam quinas, quam impudentem et ignominiosam foeneratorum avaritiam acerbissime tetigisse Horatium notum est. Sat. I, 2, 14. Cujus foenoris licentia summae Romae ignominiae erat, ut imperatorum aetate edictis sancitum esset: „eis qui foenus improbum exercerent infamiae maculam esse irrogandam.“ „Quid reliquum est? Reliquum?“ v. 58. Minime, ut interpretes sibi volunt, verba heredis sunt, sed ipsius summa ira affecti poetae, cujus fervor turpissimo heredis ingenio incitatus, non magis interrogatione eadem iterata quam tota ipsius versus natura rhythmica ostenditur. Eadem ejusdem vocabuli repetitio orationi commotae congruit neque apud poetam nostrum infrequens. (cf. v. 22 not. Jahnii.) Quod attinet ad sensum, addas ad „reliquum“ dicere vel similis notionis verbum: Quid ergo restat dicere, quum non solum esse stultum atque ineptum, sed etiam flagitiosum comprobaverim, avari studiis nimis indulgere. Potius, melius est, praestat, hereditati ne paullulum quidem parcere, lautius vivere, vita quam maxime possimus frui, ne quum heredibus paruerimus et summa parsimonia ipsi in vita usi simus, heredes aliique qui ad illos cognatione pertinent, bonis nostris, a nobis paratis, gaudeant ea quae absumant, quae sententia usque ad versum 75 continetur. „Urtica“ v. 70: cibus vilissimus erat, sordidorum aut pauperum. „Sinciput fumosum fisso aure“ v. 70. Auris capitis suilli perforaba-

tur, ut in culina suspendi et fumo indurari posset. Quum autem praeter aures nihil fere in capite suis in deliciis haberi possit, eo minoris ejusmodi cibus aestimandus est. Vocatur praeterea „fumosum“, id est vetustate jam corrosum, durum, nimis siccatum. Omnino caro suilla, quamquam apud Romanorum patres in contemptu non erat (cf. Juvenal XI. 82) posteriori tempore cibus vilissimus habebatur, ut hominum ignobilium aut antiqua simplicitate viventitum esset. (cf. Horat. satyr. II, 2, 117.) Sinciput vero ex legibus censoriis coenis Romanis remotum erat. (Plinius H. N. 8, 51.) „Tuus nepos“ v. 71: Ambiguam potestatem locus habet: nepos, a filio filiave natus, qui nepotino more vivit luxuriae libidinibusque obtemperat et in turpibus nobilium feminarum stupris patrum bona absumit. Acerbitatem loci auget illud „tuus“: tibi carus, quem tantopere dilexisti, adamasti, cui tantum argenti hereditate a me relicta cumulati, congessisti. „Anseris extis“ v. 71. Exta anserum a veteribus plurimi ducebantur; pastores erant qui anseres loco calido et obscuro inclusos carnibus minutatim incisis, lacte, praecipue ficu farciebant et alebant, quo magis jecur augeretur et dulciorem saporem haberet. „Olim“ v. 71: non est Plumio interprete nonnunquam, sed postea, post me mortuum, mea hereditate tibi et propinquis tuis tradita, „morosa vena“ v. 72. Eadem quae voci sanguinis potestas interdum venae inest. Nam in sanguine, qui venis continetur, vera vis ac vita est quo corpus sustentatur, unde vena etiam significat: vim vivificam. (cf. Jahn p. 106 in fine.) Hoc autem loco est membrum virile, quod spargit vim vivicam. „Merosa“: fastidiosa, tetra. „Inguine vago“ v. 72. Vox vagi de iis saepe dicitur, qui libidinibus nimis obtemperant, qui venere illicita fruuntur. (cf. Jahn.) „Singultire“ idem est quod palpitare et adhibetur de libidine

concitata „immeiat“ v. 73. Etiam Graecum *οὐρεῖν, ἐνουρεῖν* de coitu dicitur. At quo nobiliores erant mulieres quibus, ut libidini satisfacerent, utebantur, eo magis bona profundebantur. „Mihi trama“ caet. v. 73: trama primaria notione filum est, quod inter stamen currit, ut sine stamine filum inane videatur. Trama igitur a subtegmine est distinguenda. Tum dicitur de veste muliebri quae ad extrema usque fila est attrita, ut nihil praeter tramam supersit. Metaphorice hac voce de homine utuntur, macie et tenuitate confecto, cujus nisi ossa et venae non apparent, unde hic exit loci sensus: Num ego ad summam inopiam deducar, ut heres meus quique ei propinqui sunt bonis a me paratis fruantur et deliciis pinguescant? Quod quidem sibi volunt verba „ast“ caet. v. 74 „venter tramat“ tamquam „popa“. Popae sive victimarii hostiam ligabant, ante aram ducebant et aut securi aut malleo feriebant. Visceribus et reliquiis victimarum vescebantur et quum saepe ne inter sacrificium quidem gulae temperarent, quin etiam sacra nondum immolata devorarent, popae homines intempestivi, sordidi, voraces habebantur, ut popam quemcunque ejusdem generis hominem notarent. Neque solum ita ipsum hominem vocabant sed etiam omnia quaecunque ad eum pertinebant. „Omento“: pinguetudine, vel potius nimia pinguetudine. Verbis quae sequuntur „vende animam“ v. 75 poeta ad stultum illum se convertit, qui, ut quam maximam summam heredi derelinquat, ipse sese in lucrorum desiderio atterit atque omnes suos nervos impendit, quo rem familiarem augeat. Ut, poeta dicit, heredis voluntati obtemperaturus foenus turpe exerceas, unde rem familiarem amplifices, ut lucri causa quaecunque subeas vitae pericula, tamen nunquam heredis avaritiam explebis, quamvis multas facultates cumulaveris „Excute“: quod excutitur, exploratur, unde explorandi notio

hujus vocis usitatissima est: universos mundi recessus quaestus causa percurre, quemcunque quaestum, ipsum ignominiosum mancipiorum commercium, sectare. „ne praestantior“: paratior, callidior in coemendis mancipiis eisque emturientibus commendandis. „plausisse“ v. 77: manu tangere, impellere (cf. Henrich. p. 170) ad indicandum bonum corporis habitum. Nam servi venales nudi in „catasta“, sive tabulato altissimo, rigido collocabantur, ut ab emtoribus conspici et tangi possent. Saepenumero collis tituli suspensi erant, qui eorum virtutes praedicabant; pedes, imprimis peregrinorum, creta vel gypso signati erant. (cf. Juvenal I, 111.) Mango ad emtores alliciendos manu servos impellere solebat, quorum pinguetudinem bonamque corporis conditionem ostenderet. Servi manibus tacti, ut corporis bonitatem atque membrorum integritatem declararent, corpus saepe ipsi movebant et in catastis saltabant. Cappadocum servorum magna Romae erat copia. Ea gens indole adeo servili erat, ut oblatam a Romanis libertatem recusaret. Servi e Cappadocia Romam advecti prae ceteris boni et robusti habebantur, unde hoc loco „pingues“ appellantur. Sed cave ne nimis urgeas vocem „Cappadocas“: nam pro quibuscunque mancipiis illa vox hoc loco adhibita est. Neque tamen animus avari ullo lucro satiatur, neque copia neque inopia minuitur, quod poeta sequentibus demonstrat. Difficultas haud ita exigua inest loco „redit in rugam“. v. 79. Ut mittam interpretum conatus (cf. Plum ad h. l.) locutionem esse metaphoricam cui non pateat? Metaphora primam originem a vestibus traxit, quae corrugantur, sinuantur, plicantur; tum ruga est cutis corrugata, denique de vultu tristi, ira corrugato et adducto dicitur (cf. Juvenal. XIIII, 325.) Jam ad nostrum locum propius accedamus „redit in rugam“. Vultus avari hominis, cujus avaritia ex-

pleri non possit, semper atque ubique rugosus et tristis est. Licet rem familiarem duplicaveris, licet facultates quam maxime auxeris, tamen avarus tristem suum vultum retinet. Unde sejuncta esse velim „triplex“ et quae sequuntur usque ad „decies“ a „redit“, ut signum duorum punctorum inseratur, quo sermo majorem vigorem praeterea accipit. „Depunge ubi sistam“: punctum nota, describe, constitue, quo in re familiari augenda sistam, dic, ad quod usque punctum illam cumulem. Nam verbum depunge et codicum auctoritate defenditur et optimum sensum praebet. Quod in plerisque editionibus „depinge“ legitur, emendatione sane promta et speciosa ortum esse videtur, quamquam sensus eodem fere redit. Itaque Jahnius rectius fecit, quod in editione anno MDCCCLI. typis impressa „depunge“ restituit. „Inventus finitor“ v. 80: scilicet: est. Poeta versu extremo summa usus dicendi acrimonia eorum stultitiam atque perversitatem perstringit, qui, ut in rei familiaris usu heredum avarorum voluntati pareamus, nos adhortantur. Ejusmodi admonitorem finitorem appellat, quem demum: invenerit acervus ille Chrysippeus. Chrysippus, philosophorum Stoicorum facile princeps, saeculo tertio a. Chr. n. vixit et Cleanthe praeceptore usus est. Tanta apud philosophos auctoritate gaudebat ut in proverbium abierit: nisi Chrysippus fuisset, porticus non esset. Plus septingentis libris scripsisse fertur, quorum complures quaestionem illam difficilem et contortam tractabant: „utrum rerum fines atque certos earum terminos definire liceret; utrum in rebus cognoscendis earumque finibus dijudicandis statuere liceret: quatenus.“ Jam vero re huc atque illuc agitata illud sibi ad postremum persuasum habebat philosophus, non magis in acervo tritici constituere nos posse unde, a quo grano acervus initium capiat, unde gradatim augeatur, unde, a

quo grano minuatur, quam rerum fines atque terminos. Quid ergo? Ut Chrysippus multa opera frustra impensa certum granum initii aut exitus acervi demonstrare non poterat, neque omnino quisquam reperietur, qui acervum Chrysippeum definiat, sic hominis est vesani, dicere velle, quo sit fines avaritiae heredis, quibus terminis ejus animus satietur. Quae quum ita sese habeant, quid est cur istorum hominum doctrinam curemus, qui ut heredi satisfaciamus parce, sordide, inhumane vivere nos velint et sapienti, liberali rei familiaris usu nos prohibeant?